



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nuclevs Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde utilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

De 2. Præcepto Decal.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

est, cùm quis desperat, se posse saluari,  
etiam cum auxilijs diuinis, aut desperat  
hæc auxilia. Secundum est, cùm quis  
præsumit, se posse saluari, etiam sine sua  
cooperatione, aut gratia Dei.

24 Contra Charitatem specialiter  
peccatur per odium Dei, aut per omis-  
sionem actus amoris, quando vrget præ-  
ceptum. Omnia autem peccata mortalia  
sunt aliquo modo contra Charitatem:  
quarenus destruūt Dei amicitia. Aliqua  
specialiter, quæ sunt contra bonum pro-  
ximi : de quibus dicitur sparsim in alijs  
præceptis. De peccatis contra Virtutes  
Theologicas legi potest *Tolet. lib. 3. ini-  
cio Azor. tom. I. lib. 9. initio. Sanchez tom. I.  
lib. 2. cap. 5. 33. & 35. Filiunc. to. 2. træd. 22.  
à cap. 4.*

## DE SECUNDO Præcepto Decalogi.

*Non assumes nomen Domini in  
vanum.*

1 **P**rohibetur hoc præcepto omnis  
actio, qua irreligiose, & irreue-  
xentes,

reenter, & non cum debito honore sanctissima Dei nomina usurpentur, & hoc pacto polluatur. Cum enim Dei nomen aliquod usurpamus; tenemur reverenter, religiosè, & sanctè usurpare: ut sit in Iuramento, Adiuratione, Voto, & similibus: de quibus hic agendum est,

### De Iuramento.

**I**uramentum est invocatio, seu assertatio diuini testimonij in confirmationem alicuius rei: & potest esse quadruplex. Assertorium, Promissoriū, Comminatorium, & Execratorium. Exemplum primi est: si quis per Deum iuraret hoc, vel illud esse verum. Secundi, si quis iuret, se daturum aliquid, vel facturum in bonum. Tertiij, si quis iuret, se pœnam aliquam, aut malum alicui illaturum. Quarti, ut si quis sibi pœnam imprecetur sub iuramento, si hoc, vel illud faciat, aut dicat: ut Deus hoc, vel illud mihi faciat: moriar, si hoc, vel illud faciam. Potest autem iuramentum fieri explicitè per ipsum Deum: aut implicitè iurando per creaturas, quatenus

I 7 ali-